

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIVS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS II.

PARS I.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

simo ducentesimo vigesimo tercio, mense februarii, undecime indicationis.

Fridericus, Romanorum imperator, Petrum episcopum Bibinensem (Bovino) et ecclesiam ejus in sua speciali protectione recipit, eique restituit et confirmat privilegia regis Rogerii, Roberti comitis Loretelli et regis Guillelmi secundi, quae juxta mandatum in curia Capuana promulgatum de resignandis privilegiis sibi resignaverat.

Apud Sanctum
Germanum,
februario.

(Edd. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. VIII, p. 260.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod post solemnem curiam nostram noviter Capue celebratam, ubi inter cetera que generaliter statuimus observanda, privilegia omnia ab obitu regis Gulielmi et ejus tempore bone memorie ab eo facta vel ab alio quocumque resignari precepimus coram nobis, Petrus Dei gratia Bibinensis episcopus juxta generale mandatum nostrum quoddam privilegium regis Rogerii de concessione ecclesie Sancti Petri in Sandore ab eo facta cum territorio et pertinentiis suis, eorum finibus limitatis positus in territorio montis Ylaris, et quoddam aliud privilegium Roberti quondam comitis palatini Loretelli nostre curie resignavit, continens dictum comitem ad Dei honorem et beate Marie Virginis laudem et quod Deus conservet vitam regis Gulielmi, pro anima patris et matris sue dedisse atque donasse venerabili patri domino Gisoni presuli Bibinensi nomine et pro parte Sancte Marie Bibinensis ecclesie et ipsi ecclesie, in qua suam elegerat sepulturam, casale Sancti Petri in Druzano paucis hominibus habitatum et quedam alia inhabitata seu destructa et casale Balnei, casale castelli de Sclavis, casale dompni Leonis, casale Sancte Marie in Ebula posita in territorio et pertinentiis civitatis

Bibini eorum finibus limitata, et medietatem platee dicte civitatis Bibini intus in ea et ejus circuitum ad duo milliaria omnium rerum venalium que ab extraneis ementur et vendentur ibidem, necnon casale Sancte Marie de Sabuceto cum ejus finibus, sicut in predicti comitis privilegio continetur (1), illa adjecta conditione quod dicta Bibinensis ecclesia, maxima paupertate oppressa qua vix poterant divina officia celebrari, predicta omnia casalia in capite teneat et possideat immediate et quod pro his nullum futurum dominum Bibini assecuret ejus episcopus, sed generaliter dominum qui dominabitur toti regno, libera etiam et absoluta ab omni personali servitio et reali, necnon rectam decimam bajulationis terre Bibini et aliarum omnium diocesis ejusdem quarum nomina dicto privilegio continentur (2), et quoddam aliud confirmationis regis Gulielmi recolende memorie aurea bulla et ejus munitum (a) signaculo, quo idem rex predicta omnia summarie repetendo et alia predictis privilegiis contenta de speciali gratia confirmabat. Unde predictus episcopus nostre celsitudini supplicavit ut ipsum, successores ejus et ecclesiam sub protectione et defensione nostra recipere et predicta omnia quecumque in privilegiis predictis continebantur expresse, restitutis privilegiis ipsis eidem, de solita benignitatis nostre gratia acceptare, concedere et confirmare perpetuo dignaremur. Verum cum pia nostre mentis intentio opera nobis suadeat pietatis et ad id precipue summa voti nostri se porrigat ut retribuamus Deo aliquid pro iis que retribuit ipse nobis, nos autem considerantes sacra et divina obsequia que in ipsa ecclesia celebrantur, pro reverentia Regine virginis, salute principaliter nostra et remissionibus animarum felicium (b) regum parentum nostrorum recolende memorie, predictum Bibinensem episcopum ejusque successores ac ipsam ecclesiam

(a) In impresso *munitio*nis, male.

(b) In impresso *fraterlitium*, pessime.

(1) Memorantur quoque in privilegio Willelmi secundi, dat. Panormi, ann. 1184, mense madii. Cf. UGHELLI, *ibid.*, p. 257.

(2) Privilegium autem Roberti actum est Draconariae, anno 1118 (1178), indictione XI. Cf. *ibid.*, p. 255.

cum omnibus hominibus, casalibus predictis, justis tenimentis, libertatibus et juribus omnibus et rationibus suis sub speciali protectione et defensione nostra recipimus, et restitutis eidem privilegiis supradictis, de nostra speciali gratia et recta sententia acceptamus, concedimus et perpetuo confirmamus predictæ Bibinensi ecclesie omnia quecumque in privilegiis predictis plenius et apertius continentur; auctoritate presentis scripti mandantes firmiter universis quatenus nullus de cetero sit tam ausus (a) qui super predictis dictam Bibinensem ecclesiam, episcopum et successores ejus impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursum et penam in predictis privilegiis comprehensam. Ad hujus acceptationis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens scriptum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Data apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis millesimo ducesimo vicesimo tertio, mense februarii, undecime indictionis.

Conradus Hildesemensis episcopus ministerialibus ecclesie sue scribit quomodo moram suam protulerit expectando diem quo Papa cum cardinalibus et imperator cum rege et patriarcha Jerusalemitano caeterisque principibus invicem occurrent, de successu Terrae Sanctae et pace generali tractaturi.

Apud Sanctum
Germanum,
18 februarii.

(Edidit H. SUDENDORF, *Merkwürdige Urkunden für die Deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 87, n° XLI ex *Diplomatario Hildeshem. manuscr.* hactenus inedito; perperam autem ad ann. 1225 hanc epistolam collocavit.)

Conradus Dei gratia Hildesemensis episcopus, dilectis ac fidelibus suis universis Hildesemensis ecclesie ministerialibus gratiam suam et omne bonum. Super diutina mora nostra quam facimus vos admirari non du-

(a) In impresso *artusus*, pessime.